

64

V I T A

IRI MAGNIFICI AMPLISSIMI EXCELLENTISSIMI,  
**FRANCISCI ANTONII  
WAGENERI,**

IURIS UTRIVSQUE LICENTIATI,  
REIPUBLICAE HAMBURGENSIS CONSULIS

EXIMIIS IN PATRIAM MERITIS  
PRAESTANTISSIMI,  
ANNO MDCCCI A. D. XIII NOVEMBRIS

MORTUI,


EX

**AMPLISSIMI SENATUS MANDATO**

EXPOSITA

A


**IOHANNE HENRICO VINCENTIO NOELTINGIO,**  
LOGICAE METAPHYSICAE AC ELOQUENTIAE PROFESSORE  
ET ILLO ANNO GYMNASII RECTORE.



---

HAMBURGI.

TYPIS GOTTL. FRID. SCHNIEBESII, AMPLISSIMI SENATUS ET  
GYMNASII AC IOHANNI TYPOGRAPHI.



Saeculi decimi noni nostris regionibus anno millesimo octingentesimo primo celebrati sollemnitates mox subsecuti sunt tristiores in hac civitate casus. Nimirum primis iam diebus gymnasii et Iohannei scholariarum collegio erepti sunt **GERLINGIUS** et **BRACKIUS**, alter subita morte oppressus, alter brevi et, quemadmodum videbatur, non mortifero morbo correptus. Eodem primo trimestri in finem vergente vir consularis muneris diuturnitate primus et consilio virtute meritorumque excellentia eximius, **IOHANNES ADOLPHUS POPPE**, acutissimo et valde periculoso morbo adfectus graviter ac diu aegrotavit, et non nisi multorum mensium serie ad vegetam et in ista aetate admirabilem valitudinem reductus omnium bonorum moestitiam et gemitus in laetitiam et congratulationem transtulit. Ultimo denique trimestri lugubri huic scripto occasionem adtulit **FRANCISCUS ANTONIUS WAGENERUS**, postquam longum vitae cursum (quippe annum octogesimum et septimum fere complevit) integritate gravitate humanitate atque insigni privatorum publicorumque officiorum religione decoraverat. e

Gentis **WAGENERIAE** sive annalium memoria replicandae sive privatarum litterarum collatione eruendae facultas mihi non est data. Patrem habuit noster **FRANCISCUM WAGENERUM** mercatorem, ex cuius coniugio cum **ANNA BOUVIERA**, **SAMUELIS BOUVIERI** medicinae doctoris filia, genitus est Hamburgi anno **MDCCXV** a. d. **XXXI** Ianuarii. Sorores habuit **ANNAM**, **HENRICO KLUGIO**, **LUCIAM**, **MARTINO STOCKFLETHIO**, utrique mercatori, nuptam, denique **MARGARETHAM**.

## III

Matre sexto iam et decimo vitae die, patre autem primis anni tertii diebus orbatum in gremium suum susceperunt, materna pietate complexae sunt, et usque ad annum aetatis duodecimum foverunt ac educaverunt patris sorores; ut non incommode ad illas transferri possit, quod de Caecilia (quae Sextum Roscium puerum non solum patre orbum, verum etiam domo eiectum atque ex bonis suis expulsum, quin latronum tela et minas fugientem, domum receperat, hospitique oppresso iam desperatoque ab omnibus opitulata erat) quod de illa inquam CICERO in orationis pro Sexto Roscio Amerino capite decimo praedicat, in ea, quasi exempli causa, antiqui officii vestigia remansisse.

Traditus est postea in disciplinam MICHAELI RICHEIO, historiarum et graecae linguae in gymnasio hamburgensi professori, et erudientis atque ad omnem humanitatem formandis ingeniis iuvenilibus opportunissimo. Fuerat autem iam tres annos ante in numero alumnorum Iohannei, in quo sex praeterea annos permanfit, praeceptoresque habuit in tertio ordine WERNERUM, in secundo KUENSCHIUM, in primo NEUDORFIUM correctorem, denique rectores HUEBNERUM ac IOHANNEM SAMUELEM MUELLERUM. Quatuor postremo annis, quibus in gymnasio patrio optimarum litterarum et artium studio se dedit, doctoribus usus est RICHEIO in stilo germanico et latino, in rhetorica et poetica, in logica et arte disputandi de rebus in utramque partem, in philosophia, in historia, et in graeca lingua, FABRICIO in iure naturae, in ethica, et in politica, DORNEMANNO in mathesi, WOLFFIO in experimentis physicis et in anthropologia. His studiis finitis, anno MDCCXXXVIII a. d. VII Octobris libellum de Statutorum Hamburgensium historia in gymnasii auditorio publico RICHEIO praeside contra dissentientium argumentationes defendit.

Paucis diebus post petiit academiam lipsiensem, ubi cogitatione diligentia industria se applicavit ad primarios, quibus illa abundabat, in omni doctrinarum utilissimarum genere magistros, nempe ERNESTIUM, Ciceronem et Livium nec non iuris antiquitates, IOECHERUM, historiam regionum orbis terrarum politioris, FEUSTELIUM, historiam iuris romani, RITTERUM germanici iuris historiam, MASCOVIUM, imperii germanici fata aequae ac ius publicum et germanicum ac feudale, PETERMANNUM, institutiones iuris, pandectas, ius canonicum, CRAMERUM, ius publicum et germanicum, HEBENSTREITUM medicinam forensis exponentes. Praeterea usus est ducibus PETERMANNO, iuris civilis praxin medietatis suorum commentationibus eliciente et expoliente, et HOMMELIO, artem de litigantium rationibus ad iudicem referendi tradente et auditorum exercitationibus limam adhibente.

Post tres annos in hac iuris universi officina probe exactos Wetzlarum, supremi in Germania tribunalis sedem, se contulit, atque ZWIERLEINIO et DIETZIO auctoribus totum se collocavit in cognoscenda perspiciendaque causarum coram illo agendarum ratione. Sequenti anno academiam, quae Gieslae florebat atque etiam nunc florèt, profectus est, ibique scripto de testimonio invalido conventionis litigantium convalescente a. d. XX Martii sine praeside defenso facultatem summos in utroque iure honores capeffendi promeruit.

Inde iter non solum visendis terris sed cognoscendis quoque hominum artibus ac moribus, nec non regnorum constitutionibus et regiminum rationibus scrutandis dicatum instituit in Helvetiam Belgium et Galliam, ex qua tandem anno **MDCCLXXXIII** patriam revertit. Hic undecim omnino annis maximam temporis sui partem amicorum, qui illum consulebant, temporibus transmitit; atque in eorum rebus in controversiam adductis integre adfidueque versatus est.

Anno demum **MDCCLIII** a. d. **III** Novembris amplior atque illustrior campus apertus est; in quo illius doctrina et ars ingeniumque de salute non modo singulorum civium verum etiam universae patriae bene merendi studium excurrere cognoscique possit, muneris nempe senatorii, **NICOLAI SCHUBACKII** ad consularem dignitatem adscensu vacantis, ad **WAGENERUM** translatione. In hoc munere triginta et sex annis omnes fere functiones peregit, quae senatoribus usque ad primum in hoc ordine locum adcedentibus sive singulis, sive cum consulibus et collegis quibusdam, sive cum uno ex syndicis, sive cum toto senatu, sive cum delectis civibus offeruntur.

Indicem illarum, quem ipse **WAGENERUS** scripto, quod brevem vitae ipsius narrationem continet, proposuit, etiam huic meae descriptioni inferendum duxi, retentis nominibus germanicis, quippe opportunioribus, quam si illas latinitate magnam partem noviter conficta et auri- bus teretibus iniucunda, quoniam aliter fieri non posset, circumscriberem. Attigerunt ergo illae functiones den Marstall, Reinckes Testament, die Düpe- und Cassenordnung, die Artillerie, die Bieraccise, die Feuersbrünste, die Fortification, das grosse Kriegesrecht, den Schüßenswall, die Stadthore und Bänne, die Viehaccise, die Generalvisitation, die Generalfenercassa, den Rathhof, die Regulirung der Hentet, die Borchkerei, die Stadtprätur, das Gericht, die Brodtordnung, die Kaufmannsbörse, die Nachtwache, das fremde Schoß, das Spinnhaus, den Zoll, den Krankenhof, den Mühlenstein, den Billwärdner und Ochsenwärdner, den Bauhof, die Banko, die michaelitische Schoßtafel, die Weinaccise, die Wedde, den Zehnpennig, das Amtsgericht, die michaelitische Kirchspielherrenschaft, Hanstorp und Wohltorp, die Colonesschaft, den Kriegedraht, die Kornordnung, die jakobitische Schoßtafel, die bergeborsische Visitation, Hamm und Horn, den Hamburgerberg, das Scholarchat, den Lombard, die Matten und Mühlen, die Matelerordnung, die Oberaltenwahlen und Rechnungen.

Praeterea non pauca magni momenti quin etiam multae difficultatis negotia cum aliis amplitudine et virtutibus praecipuis viris transigenda **WAGENERO** senatori commissa sunt.

Fuit enim inde ab anno **MDCCLVI** in consortio illorum, quibus aedis Michaeli dicatae, anno **MDCCL** a. d. **X** Martii fulminis incendio deflagratae, superatis primis incommodis instaurandae cura incubuit.

Anno **MDCCLXV** in itinere ad Viennam comes adfuit **IOHANNI IACOBO FABRO**, reipublicae hamburgensis syndico, cum quo **MARIAE THERESIAE** imperatrici, coniunctissimi mariti, **FRANCISCI PRIMI**, Germaniae imperatoris, mortem lugenti civitatis nostrae moerorem, et **IOSEPHO SECUNDO**, imperii germanici gubernacula regenti, congratulationem testatus est, simulque iurium Hamburgi (quae

## VI

recentiore latinitate privilegia adpellare mos est) confirmationem a supremo imperii consilio expetivit atque adeptus est.

Cum ab antiquis temporibus Holsatiae principes cum Hamburgo disenserant de huius exemptione et immedietate (liceat in re nova novis uti verbis) **SCHUBACKIO** syndico, una cum **WAGENERO** et **BURMESTERO** et **RITTERO** senatoribus, anno MDCLXVII mandatum est, ut cum primariis, quos illi principes ad hoc negotium delegerant, viris transigerent. Ipsa pactio sequenti anno Gottorpii confecta est.

Ad Eppendorffii, qui vicus in coenobii sancti Iohannis nomine insigniti ditione ac tutela est, aedem sacram et sollemnia sacra olim se adplicaverunt incolae quorundam pagorum in illius vicinitate sitorum Holsatiae regimini subiectorum. Quibus cum Daniae rex, ut Holsatiae princeps, suam et propriam aedem atque omnis cultus sanctioris constitutionem dare sibi proponeret: consilia hac de re inita sunt anno MDCLXVIII, iisque agitandis praefecti **KLEFEKERUS** syndicus et senator **WAGENERUS**, qui cum legato regio totam rem ex utriusque partis votis tam celeriter transigerunt, ut intra quatuor mensium spatium pactio perficeretur. Uberiorem huius negotii expositionem profert voluminis legum hamburgensium undecimi pagina 479.

Brevi tempore post querelis, quae inter regimen Holsatiae et Hamburgum fuerant de finibus pagi, cui nomen est Bilsen, finiendis iidem viri praepositi sunt, qui cum eodem legato regio eadem adfiduitate compositionem fecerunt anno MDCLXX. Etiam huius negotii mentio facta est in eiusdem operis volumine decimo, pagina 159.

Denique commissum est **WAGENERO** negotium investigandae rationis, ad quam illi, sub quorum tutela sunt infantes parentibus orbati, curam eorum gerere debeant; in quo comites habuit senatores **DIMPFELIUM** et **LUETKENSIUM** atque **KROHNIUM**. Deinde legum, quibus proxenetae obligantur, recognitio, adiutoribus **SILLEMIO** syndico et **POPPIO** senatore. Porro cura legum, quibus immoderata licentia foeneratorum in commodandis pecuniis pro pignoribus acceptis restringatur, tuendam, in qua illi adfuerunt senatores **VOLKMANNUS** et **ANCKELMANNUS**. Concurrit etiam consilio cum aliis amplissimis patriaeque amantissimis viris ad dirigendam turris michaelitanae extructionem.

Postquam inde ab anno MDCLXXIII **WAGENERI** nomen cum aliis quinquies in hydriam coniectum fuerat, ut, cuius nomen exisset, is consulatum haberet: anno MDCLXXX a. d. XXII Januarii simili sortitione huic muneri admotus est, in quo peragendo, ut scripto supra excitato ipse memoravit, complexus est das alternative Präsidium des Amtsgerichtes, den Marstall, die Münze, die Patronage des Werk- und Zuchthauses, die des Spinnhauses, die zu Sanct Georg, die bei dem Johanneskloster, die an dem Hiobshospital, und die an dem Gasthause.

Transeo ad viri insignibus ingenii dotibus praediti et praecipuorum munerum functione salutariter occupati imaginem non exprimendam verum primis tantum lineis adumbrandam. Auctore potissimum utar codeni, cui nonnulla memoratu digna debeo, quae vitam consulis proxime ante **WAGENERUM** morte erepti ornaverant, quemque ipsum, paucis mensibus post **WAGENERI**, cuius intima familiaritate per longam annorum seriem usus erat, decessum, simili fato ereptum etiam atque etiam moereo. Addam praeterea, quae ex propria viri cognitione recenti memoria recolo, idque eo magis, quod per dimidium saeculum benevolentia et favore me comprehendit, et ultimis his annis interiori consuetudine dignatus est.

**WAGENERUM** non modo iuveni verum etiam virili aetate in illas res, quas sive audiendo sive legendo percipiebat, maxime intentum fuisse, testantur libelli multa cura et labore ipsius manu scripti. Multum adamavit cupideque legit scriptores gallicos, quorum operibus extrema manus adcesserat, quique et meditationis maturitate excellabant et orationis ornatu. Ad illorum et rationem et sermonem ita se adplicavit, ut idem experiretur, quod **CICERO** libri secundi de oratore capite decimo quarto de se praedicat: Ut, cum in sole ambulem, etiam si aliam ob causam ambulem, fit natura tamen, ut colorer; sic, cum illos libros studiosius legerim, sentio, orationem meam illorum tactu quasi colorari.

Magni porro aestimavit libros et orationes eorum, qui, partim hominis natura, partim mundi perfecta ratione, partim libris sacris edocti, summi munus cognitionem et cultum tractabant. Illorum rationibus et consiliis scrutandis amplectendisque acriter se dedit, animique sanctimoniam ad totum vitae tam publicae quam privatae habitum transtulit.

Praecipuam vero cogitationem diligentiam assiduitatem posuit in amplificanda et adhibenda iuris scientia, quae ex universi generis humani conditione, ex legibus, quibus gentes regi debent, ex constitutionibus certorum populorum, denique ex compositis sensum et descriptis iuribus illorum repetenda est, apud quos summa rerum est potestas. In quod studium quanta mente incubuerit, quantumque in illo profecerit, satis demonstravit, cum causas sive ad senatum sive ad supremum Germaniae iudicium referendas enucleate dilucide apte proponebat, rationes dubitandi aut decidendi non copiose magis quam subtiliter adferbat, de rebus difficilioribus argute disputabat, toto denique sermonis habitu sibi constabat.

Sciunt omnes, qui **WAGENERUM** propius cognoverunt, placidam mitemque in eo naturam fuisse. Tamen illi, ex quo iudicis personam induebat, non usque eo indulgit, ut in molliem negligentiamque abiret, neque versute litigiosis spem admovit, severitatis aculeum loquacitate evelli posse. Iustitiae et mansuetudinis cultor sincerissimus etiam tum, cum, indicandi potestatem sibi permissam esse, probe sentiret, non putabat, se esse solum, sibi, quodcumque concupisceret, licere; sed habebat in consilio legem religionem aequitatem fidem, libidinem odium invidiam metum cupiditatesque omnes horrebat, maximeque aestimabat conscientiam mentis, quam a deo accepimus, quaeque a nobis divelli non potest.

Dicti illius memor: " Si causae ipsae pro se loqui possent: nemo adhiberet oratorem " ipsos litigantes ad se accedere cupiebat, invitabat et,

## VIII

quantum fieri poterat, iubebat; neque solum libertatem loquendi illis concedebat, verum quoque animum addebat, ut et factorum, quae litibus ansam praebuerant, plenam et dilucidam narrationem facerent, et iurium, quae inde sibi oriri putabant, rationes adferrent. Tum, admissis iis, qui ab utraque parte in consilium advocati erant, eorumque dictionibus summa audiendi diligentia perceptis et perspectis, totus in eo erat, ut omnia iuste sapienterque disceptaret.

Quodsi, rebus diligenter indagatis, parem causam litigantes habere videbantur: omnem operam navabat, ut illos ad concordiam adduceret; idque eo maiori fiducia tentabat, quod animi tranquillitate vultu et moribus elucente ad attentionem audientium ad se adlicere solebat, et rationes ex ipsis causis de promptas dulci sermone condire, atque sic eos, qui decertandi cupiditate ad illum adcesserant, ita delinire, ut nullam dissidii partem residere paterentur.

Neque tamen is fuit **WAGENERUS**, qui humanitate adfabilitateque sine discrimine divulgata omnium oculis et animis servire studeret; sed, dignitatis auctoritatisque suae nunquam immemor, et integritatis, quae omnes suas actiones dirigebat, conscius, gravitatem in ferendis sententiis intactam illibatamque servabat, atque, cur ita decideret, plane et aperte declarabat, ut quisque intelligeret, nullam illis notam, nullum colorem, nullas sordes allini posse. Severiter eos tractabat, qui versutiis et tergiversationibus et calumniis causas extrahere, veritatem tenebris offunderet, sibi que iudici errorem obicere conabantur; illorum molimina irrita reddebat, arrogantia turgescens compecebat, audacia effrenatos retorquebat, contumaces iustis poenis adiciebat.

Cum in disceptationibus apud senatum agitis negotium colloquendi cum partibus committebatur duobus senatoribus, qui, praecipuorum momentorum ratione habita, accurate et succincte demonstrarent, qua via illis optime consuli possit: **WAGENERUS**, si eiusmodi salutaris negotii pars sibi demandata erat, non minus prudenter quam religiose illud expedivit, et, quantum recte atque ordine fieri poterat, id egit, ut aequis conditionibus inter se potius convenirent, quam pugnandi pertinacia omnia iura periclitarentur.

Eadem integritate et circumspectione officiis omnibus per munera senatoria et consularia XXXXVII annorum cursu sibi impositis satisfacere studuit, donec senectute ingravescente laborum praecipue publicorum molis sustinendae perferendaeque parem se amplius non esse sentiret. Neque tamen a statione, quam usque ad octogesimum et septimum aetatis annum digne atque constanter tuitus erat, recessit, utpote sperans, fore, ut, si modopedum infirmitate liberaretur, capitis viribus non tam debilitatis, et animi in patriae caritate semper infixi ardore plane non imminuto, ad negotia intermissa rediret. Insigni interitum voluptate perfundebatur, quando a collegis aliorumque ordinum praestantibus viris consilia ad summam rei publicae pertinentia resque ad salutem publicam feliciter gestas adiciebat.

Plurimos in vita laetos dies vidit **WAGENERUS**, iisque fruendis mirifice delectatus est. Neque tamen fortunae varietatis ita

expers fuit, ut non ab illa quandoque feriretur. Quia vero et innato quodam habitu ad placidam mentis pacem inclinabat, et assiduo sapientiae rerum humanarum fragilitatem probe noscentis studio ad aequabilitatem et constantiam animi adfueverat: eo pervenit, ut neque secundis rebus extolleretur, neque adversis succumberet.

Erant in illis comitate condita gravitas, morum facilitas, vultus et sermo animos devinciens et ad spem immo fiduciam excitandam et confirmandam inprimis aptus. Tantum autem abest, ut ore solum et verbis humanitatem prae se gesserit, ut consulendo iuvando aliorumque adiumenta, si ita necesse erat, sibi adiungendo ad alienas utilitates libenter se adiungeret, idque non adfiscendae laudis causa verum benefica voluntate faceret.

Eodem animo vere populari omnia de republica praeclara atque egregia sensit, sententiam suam illius utilitate moderatus est, atque ingenii et consilii humile iis praerivit, quos eodem ardore incensos, sed iuniores et non tam diuturno usu rerum exercitatos, velut socios itineris habuit. In quo Ciceroni adfensus est amore vere consulari in rempublicam ita inflammato, ut omni vita sive publica sive privata confirmaret, quod libri de officiis primi decimo capite enunciaverat: "Omnium societatum nulla est gratior, quam ea, quae cum republica est unicuique nostrum. Chari sunt parentes, chari liberi propinqui familiares; sed omnes omnium charitates patria una complexa est; pro qua quis dubitet mortem oppetere, si ei sit profuturus!"

Quod si vero a studiis doctrinae in civium commoda convertendae et a negotiis publicorum numerum causa obeundis aliquid temporis supererat: illius maximam partem et suis et iis, quos propter amicitiam in numero suorum habebat, tribuendam existimavit. Nimirum recte. Nihil enim est naturae aptius, nihil magis conveniens ad res vel secundas vel adversas, quam amicitia, in cuius fructu recte a doctis positum est cum consilium omnis vitae consentiens et paene conspirans tum summa iucunditas e quotidiano cultu atque victu. Singularem vero et illam rariorem ex amicitia cum

**WAGENERO** iuncta fructum perceperunt, qui interioris ad illum admissionis erant. Nempe is, in prima iam adolescentia fidium sono tiliarumque cantu valde delectatus, **KREYSINGIO** aliisque musicis Hamburgi degentibus operam dederat, praecipue vero, cum Parisiis commoraretur, doctore usus erat **RAMOVIO**, excellentissimo id temporis in componendis et exercendis operibus musicis auctore, cuius in se merita per omnem aetatem gratissima mente recordatus est. Ab illo tempore musicae studium et exercitationem velut humanissimam liberalissimamque animi a laboribus remissionem continuavit auxit, excoluit, atque tantos in hac arte progressus fecit, ut, qui ei instrumenta sua musica, nempe duo clavichordia et organum, non solum virili et omnino vegeta aetate verum quoque summa senectute tractanti praesto erant, musicae magistrum audire se putarent. Hanc igitur oblectationem amicorum auribus et animis libens offerendo suae voluptatis illos participes facere solebat, similique ex eiusmodi arte aliorum laetitia perfruebatur. Quin eo ipso, quod huius artis amantissimus atque simul eximus cultor erat, duplex de urbe nostra



## X

meritum sibi conciliavit. Etenim **WAGENERI** commendationi non parvam ornamenti et beneficii illius partem debemus, quod **CAROLUS PHILIPPUS EMANUEL BACHIUS**, at quantus artifex! ad Hamburgum adcedens et choro musico praefectus nobis adtulit. Idemque pariter ac **FRIDERICUS WAGNERUS**, primus ad aedem Michaelis oraculorum divinorum antistes, praecipui auctores fuerunt, ut ad construendum in eadem aede organum musicum **JOHANNES GODOFREDUS HILDEBRANDUS**, unus ex praestantissimis in hac arte viris, arcesseretur. Quod opus quam scienter quamque feliciter is perfecerit, testis fuit ipse **BACHIUS**, eiusmodi artificiorum aestimator sine dubio primarius, quem mihi roganti, ut suum de illo opere iudicium mecum communicaret, respondisse probe memini, maiora omnino organa musica reperiri posse, sed non meliora.

Plura adferre possem, quae ad rite aestimandas et grata memoria recolendas **WAGENERI** virtutes pertinent. Ne vero extra cancellos, quibus me circumdatum esse scio, egredi videar, illius rebus domesticis commemorandis scriptioni meae finem imponam.

Anno **MDCCLVII** a. d. **XVIII** Aprilis, felici connubio iunctus est virgini ingenii dotibus et naturae praestantia et morum suavitate conspicuae **CATHARINAE GERTRUDAE, PETRI THEODORI WIESII, J. U. L.** et **GERTRUDAE BLOCKIAE** filiae. Ex quo coniugio orti sunt

1. **GERTRUDA LUCIA** nata **MDCCLVIII** a. d. **XVII** Octobris, desponsata anno **MDCCLXXVIII** a. d. **XXVI** Maii **ANDRAEAE MUTZENBECHERO** mercatori, qui ex illa suscepit **FRANCISCUM MATTHIAM** natum **MDCCLXXVIII** a. d. **XVI** Aprilis, **JOHANNEM DANIELEM** natum **MDCCLXXX** a. d. **XXV** Septembris, **MARIAM CATHARINAM** natam **MDCCLXXXIII** a. d. **III** Martii.

2. **PETRUS THEODORUS** natus **MDCCLXI** a. d. **VIII** Februarii, mortuus **MDCCLXI** a. d. **XXX** Maii.

3. **ANNA ELISABETHA** nata **MDCCLXI** a. d. **XXX** Martii. Hanc uxorem duxit anno **MDCCLXXX** a. d. **XVIII** Maii **DANIEL STOCKFLETHUS** mercator. Quo matrimonio prodierunt **MARIA THERESIA** nata anno **MDCCLXXXI** a. d. **XIII** Februarii, mortua **MDCCLXXXII** a. d. **XVIII** Decembris, **DANIEL** natus **MDCCLXXXII** a. d. **XVII** Februarii, mortuus anno **MDCCLXXXIII** a. d. **XV** Augusti, **JOHANNES DANIEL** natus anno **MDCCLXXXIII** a. d. **XV** Septembris, **ANNA ELISABETHA** nata **MDCCLXXXVI** a. d. **XXX** Martii.

4. **MARIA** nata anno **MDCCLXII** a. d. **II** Maii, quae sorori **STOCKFLETHAE**, anno **MDCCLXXXVI** a. d. **XVII** Septembris ex coniunctissimi mariti complexu mortis vi ereptae, in matrimonio successit anno **MDCCLXXXVII** a. d. **XV** Maii, eique peperit **FRANCISCUM MARTINUM** **MDCCLXXXVIII** a. d. **III** Novembris, mortuum anno

MDCCLXXXVI a. d. XXVI Martii, ipsumque coniugem anno MDCCLXXXVIII a. d. V Maii fato oppressum deploravit.

5. FRANCISCUS ANTONIUS natus MDCCLXIII a. d. XXVIII Novembris, mortuus anno MDCCLXV a. d. XII Julii.

6. CATHARINA MARGARETHA nata MDCCLXVI a. d. XXIII Februarii, nupta anno MDCCLXXXVI a. d. VIII Augusti JOACHIMO HERMANNO WAHNIO Doblengi in terra oldenburgensi oraculorum sacrorum interpreti, at, postquam FRANCISCUM ADOLPHUM anno MDCCLXXXVII a. d. VIII Maii felici, et HERMANNUM ANTONIUM anno MDCCCI a. d. XXII Junii difficili partu ediderat, sequenti iam die morte deleta.

7. FRANCISCUS ANTONIUS natus anno MDCCLXVII a. d. XVIII Julii, mortuus anno MDCCC a. d. XXVIII Septembris.

8. GERTRUDA ELISABETHA nata MDCCLXVIII a. d. I Septembris.

9. ELISABETHA REGINA nata MDCCLXXI a. d. VIII Martii.

10. MARIA ANNA nata MDCCLXXIII a. d. XVIII Decembris, mortua MDCCLXXVI a. d. XXV Januarii.

Laetum WAGENERI coniugium fuit et per plus quam XXXXIII annos stabile. Neque mirum; quippe omnes, quae ex lectissimi amici intima familiaritate dulcedines percipi possunt, cum optima vitae sorte communicavit, et haec ipsa suavissima coniux omni cura semper id egit, ut ille nulla animi oblectatione, nullo in re familiari adiumento, nulla in casibus tristioribus consolatione, nulla incommodorum sive ex senectute sive ex adversa valitudine ortorum levatione careret. Huic felicitati cumulus adcessit, quod utriusque in educanda prole conspirante consensu haec spem de se conceptam non modo non irritam redderet verum ita impleret, ut, optimorum parentum effigiem repraesentando, idem, quod de liberis suis Cicero in orationis ad Quirites post reditum primo capite exhibet, testimonium promeruerit: "Quid dulcius hominum generi a natura datum est, quam sui cuique liberi! Mihi vero propter indulgentiam meam et propter excellens eorum ingenium sunt vita mea cariores."

Venio nunc ad ultimum vitae stadium viri, qui per longum iter in recta omnium rerum ratione usque ad finem perseveravit. Illius descriptionem pro humanitate sua fecit vir, ut cetera omnia praetermittam, eruditionis amplitudine et excellentia pariter atque artis saluberrimae praestantia illustris, JOHANNES ALBERTUS HENRICUS REIMARUS, medicinae doctor, et physices ac poeseos in gymnasio nostro professor. En igitur ipsius, quem WAGENERUS per plures annos medicum sibi adhibuerat, verba.

"Fruebatur vir gravissimus ceteroquin corporis viribus ad senectutem usque satis integris et valetudine fere illibata; pulmonum vero debilitate quadam laborare videbatur. Hinc saepius, hiberno praesertim tempore,

“tussi catarrhali vexabatur, cui peripneumonia quoque periculosa interdum  
 “superveniebat. Interim tamen ita convaleuit, ut per aetatem bene om-  
 “nino se haberet. Jam vero die Novembris octavo, recurrentibus iisdem  
 “malis, vires adeo fractae erant, ut, ingravescente morbo paucis diebus  
 “ita opprimeretur, ut die iam decimo tertio eiusdem mensis suffocatus  
 “succumberet.”

Reipublicae nostrae et omnibus, qui illi bene cupiunt, virtutumque  
 et meritorum **WAGENERI** per tot annorum seriem in illam colla-  
 torum memoriae celebrant semperque celebrabunt, praesentissimum summi  
 numinis providentia solamen adhibuit successorem illi dando virum mag-  
 nificum sapientissimum benevolentissimum, **FRIDERICUM**  
**VON GRAFFEN J. U. L.** ordinis senatorii per XX annos  
 ornamentum, cuius locum felici omine obtinuit vir iuris consultissimus peri-  
 tissimus humanissimus **DAVID SCHLUETERUS J. U. D.**  
 Uterque, populi hamburgensis deliciae, ut, quidquid commodorum a  
 summo in patriam amore et indefesso salutis publicae conservandae augen-  
 dae stabiliendae studio expectari potest, praestet, atque in hoc bene-  
 ficentissimo munere peragendo ad **WAGENERI** aetatem adspiret  
 immo illam superet, ardentem exopto cupio precor.



*[Faint, mostly illegible text visible through the paper, likely bleed-through from the reverse side.]*

*[Faint, mostly illegible text at the bottom of the page, likely bleed-through from the reverse side.]*